

non perficiens ipsam divinam volitionem, aut causans ipsam. Est autem volita, et causata a Deo, non ex æquo cum ipsis meritis, sed ut finis assequendus per ipsa: sic enim ponitur inter finales causas justificationis gloria æterna a Concilio Tridentino sess. VI, c. VII, ergo hoc ipso est volita a Deo gloria, ut finis meritorum, et prius quam ipsa. Unde sive pendeat per se, et ex natura sua gratia ab illo fine gloriæ, sive non pendeat, tamen de facto gloria est volita a Deo ut causa finalis nostræ justificationis, ut docet Concilium et consequenter ut finis meritorum, quæ ad justificationem sequuntur: ergo de facto stante hoc ordine rerum procedit justificatio, et merita ex illo fine, licet etiam tandem referantur ad ipsum Deum qui ex amore sui universa voluit; sed nobis sufficit quod de facto procedat ab illa gloria volita, ut speciali fine, et habente rationem causæ finalis respectu gratiæ, et meritorum: nam si hoc habet, ergo exercet causalitatem finalem respectu eorum: ergo intuitu ejus vult Deus illa, et prius efficaciter vult gloriam, quam gratiam, et merita prioritate, et causalitate finis, a cujus efficacia pendet efficacia mediorum: ergo ex hac parte non evacuat Arrubal argumentum dicendo, quod non procedunt merita a gloria, ut a fine, sed ex alio fine, si quidem de facto Deus voluit gloriam esse causam finalem justificationis, ut Concilium docet: ergo de facto exercet munus causæ finalis in justificationem, et merita: ergo subordinatur de facto illi fini gratia, et meritum: ergo procedit ex amore finis hujus, supposito quod Deus illam voluit ut causam finalem hujus: et sic ex voluntate Dei subordinatur illi ut fini, et procedit ab ejus intentione: non ergo repugnat procedere ex intentione efficaci finis

ex hac parte, quia videlicet non subordinatur per se illi fini, nec procedit ab illo, cum ostensum sit procedere, eo quod gloria est causa finalis gratiæ, et justificationis; et sic est volita a Deo: ergo ex hac suppositione procedit ab illa, ut a fine, et subordinatur ei.

XX. Ad id vero quod addit Arrubal, requiri pro executione dandi gloriam aliud decretum ortum ex præscientia meritorum, quod det efficaciam pro executione, respondetur quod si hoc intelligatur de decreto electivo, et executivo circa media, quod sequitur ex actu intentionis, sicut in nobis post intentionem sequitur electio mediorum, et post electionem imperium faciens impetum ad executionem, et quod hæc decreta deriventur ex intentione finis, et ab ejus efficacia accipiant ipsa, et derivent efficaciam in se, verum est quod dicit, et hæc est nostra sententia, ut supra explicuimus disputatione quinta, articulo primo, agentes de distinctione ordinis, intentionis, et executionis, quia tunc versatur efficacia utriusque decreti circa diversa objecta: unum circa finem aliud circa media, unum secundum efficaciam finalem aliud secundum efficientem. Si vero velit intentionem finis esse decretum ex se inefficax, et requirere aliud decretum ortum ex præscientia meritorum a quo sumat efficaciam suam circa ipsum finem, ita quod circa idem objectum, scilicet circa finem, sit duplex decretum, alterum inefficax ordine intentionis, alterum efficax ex efficacia executionis ortum, falsum est, quia efficacia executionis necessario supponit, et derivatur ex efficacia intentionis in genere finalis causæ procedentis, si quidem ex voluntate inefficaci finis, non sequitur effectus per se: nam stat bene poni inefficacem voluntatem, et non sequi effectum: ideo enim inef-

ficax est, quia effectu caret de se, si autem sequitur effectus, erit per accidens et casualiter, non per se ex vi talis inefficaciæ intentionis. Ergo decretum illud secundum non potest dare totam efficaciam requisitam ad effectum, sed aliquam debet supponere, nempe eam, quæ est in genere causæ finalis in ordine intentionis, ex qua derivatur efficacia executiva, quæ ordine executionis agit, id quod ordine intentionis præconceptum est. Quod declaratur ex coordinatione istarum causarum inter se, quia causa efficiens executiva movetur a finali, si quidem agit gratia illius: ergo supponit causalitatem causæ finalis, alias nunquam de facto ageret causa efficiens, si a causalitate finis non moveretur: ergo supponit efficaciam finis. Patet consequentia, quia efficacia finis est causalitas ejus: hæc enim est causatio ejus de facto: ergo, et efficacia. Non ergo potest hanc efficaciam habere ex decreto executivo, et posteriori, alias acciperet causalitatem finis (in qua consistit ejus efficacia) a suo effectu, et ab eo quod est posterius se, et ab efficiente præstaretur causalitas, seu efficacia finis, quod repugnat. Restat ergo quod ante hoc decretum sit efficacia in decreto intentionis, quæ pertinet ad suam lineam, scilicet in genere causæ finalis, nec ista præstari potest a decreto executivo quod oritur ex præscientia meritorum. Unde etiam fit quod non possit intentio accipere ordinem ad effectum ab illo posteriori decreto, quia causa finalis, et ejus intentio non habent vim causandi finaliter, nisi in quantum respicient effectum ut faciendum, non vero ut respiciunt bonitatem objecti secundum se, et abstrahendo ab ordine ad existentiam, quia non finalizat finis per causalitatem suam finalem, nisi movendo efficiens ut agat gratia talis finis: ergo

debet intendere, et respicere effectum ut faciendum, et ut ordinetur ad esse, non vero secundum suam bonitatem præcise abstrahendo ab ordine ad esse. Hoc ergo quod est respicere effectum, ut faciendum, non accipit intentio ex decreto posteriori executivo, sed antecedenter habet ex se, cum ratione illius moveat ipsius efficiens ut operetur, et ratione illius respiciat media in obliquo: respicit enim finem ut assequendum per media; et sic media respicit ut effectus, quia respicit illos ut deducendos, et causandos ex fine: non ergo ut motivum; et sic ex illis non habet efficaciam; sed potius ex efficacia finis derivantur illa media.

XXI. Ad id vero, quod dicit p. Suarez, constat manifeste ex dictis, voluntatem illam eligendi ad gloriam determinate, et efficaciter, si requiritur, necessario requiri ad disponendum de mediis, nec posse suppleri per voluntatem simplicem, et inefficacem, quia voluntas finis, quæ influit in media, et movet ipsum efficiens, debet esse voluntas talis, quæ operari, et causare possit in genere causæ finalis, alias nunquam moveretur efficiens ex vi finis; et sic solum ageret casualiter, et præter finem. Causa autem finalis operans in genere causæ finalis, et habens causalitatem in eo genere, habet etiam efficaciam in eo genere, quia idem est efficacia quod causalitas de facto influens in eo genere, in quo efficacia est, et si est sufficiens ad perducendum usque ad executionem in re, est perfecta, et plena efficacia. Sicut ergo non potest suppleri causalitas finis per voluntatem ejus inefficacem, quia inefficax voluntas non movet per se, et in vi sua ad operandum, sed si movetur efficiens, casualiter et per accidens a tali voluntate movetur, ita non potest suppleri efficacia ejus ad movendum efficiens, et causandum media in ge-

nere suo, id est, in genere causæ finalis. Non ergo consequenter potest dici, quod detur absoluta intentio eligendi ad gloriam, ut ad finem ante prævisa merita, et quod hæc voluntas non sit necessaria in ordine ad media eligenda, sed quod possit suppleri per simplicem, et inefficacem voluntatem, cum omnino necessaria sit propter subordinationem mediorum ad finem, et dependentiam efficaciam hujus ab efficacia illius, si per se ex fine debet deduci, et non per accidens, et casualiter evenire.

XXII. Contra solutionem p. Lessii vix oportet instare: nam inquiri: Quando Deus vult gloriam ut causam finalem justificationis et meritorum (esse autem causam finalem docet Concilium ubi supra) ex vi talis volitionis, et intentionis finis per se vult aliquid, vel non. Si non vult aliquid, frustra est illa causa finalis, quia nihil per se consequitur ex illa; et sic per se non est causa, sed materialiter, et per accidens. Si autem per se vult aliquid ex vi intentionis talis finis, maxime efficaciam mediorum: nam finis maxime movet ad sui assecutionem, si est intentus, et non simplici tantum voluntate volitus, et Deus in prædestinationis intendit assecutionem finis in re, et cum effectu: ergo maxime debet causare efficaciam mediorum ad talem assecutionem: id enim principaliter conducit ad talem assecutionem. Si ergo Deus assecutionem intendit illius finis voluntate antecedenti, et priori in ordine intentionis, vel cognoscit efficaciam mediorum, vel non. Si non cognoscit, caret scientia. Si cognoscit, et non intendit ex vi finis, caret prudentia, quomodo enim prudenter procedit, qui intendens assecutionem alicujus finis, quæ unice dependet ex efficacia mediorum, præmittit intendere illam, et solum

materialiter ibi adhibetur efficacia, cum hæc sit maxime requisita, et non casualiter debeat adhiberi: sic enim exponitur casui, et fortunæ, et consequenter frustrationi, si non per se, et formaliter ex vi finis efficacia media adhibentur, sed solum materialiter, et per accidens apponuntur. Quod vero secundo addit non esse necesse quod finis, et præmium prius sit efficaciter volitum ante media, jam supra contra Molinam et Vasquez impugnatum est, cum gloria sit finis ut consequendus in re per media danda ab ipso Deo, non ab alio principio expetenda, sed prorsus in potestate ejus sita. Et ad idem pertinet quod dicit beatitudinem esse volitam in communi ante prævisa merita, non in particulari pro Petro, vel Paulo: nam beatitudo in communi non est volita efficaciter, et per electionem, quæ discernit reprobos a prædestinatis: nec enim beatitudo in communi proponi potest ut assequibilis efficaciter, cum in communi a nullo assequi possit. Solum ergo in communi diligi potest ratione suæ bonitatis, et secundum quod communis est prædestinationis, et reprobis, non autem ut in esse, et exercitio assequenda. Nec electio ad gloriam, ut discernit prædestinatum a reprobo, potest esse, nisi ut propria, et individualis istius: ergo non in communi. Et Deus eligens determinate ad hanc gloriam ante merita, cum habeat in potestate sua dare merita, quæ velit, et in qua mensura velit, nec dependeat in hoc ab homine, sed homo ab ipso: *Quia unicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi*, ad Ephes. iv, consequenter non minus potest in hoc fine intendendo procedere ex absoluta, et efficaci intentione ante merita, quam in fine, qui assequendus est per merita ab ipso solo Deo ponenda, ut probatum est.

ARTICULUS IV.

Solvuntur argumenta.

XXIII. Ad id denique quod dicitur de præcedentia meritorum, et gloriæ in diverso genere causæ, respondetur quod illud intelligitur secundum ordinem intentionis, et executionis, quod videlicet gloria est causa finalis meritorum, et præcedit illa in hoc genere causæ finalis, qui est ordo intentionis. In quo genere non possunt merita præcedere dando rationem motivam electionis hujus, quia sic præcederent ut motivum amandi finem, atque adeo ut id cujus gratia finis amatur, quod repugnat, cum merita sint effectus finis. Præcedunt autem merita ipsam gloriam in genere causæ dispositivæ, et materialis quantum ad executionem, seu assecutionem, quatenus reddunt subjectum dignum, et idoneum ut illi detur gloria ratione meritorum ut qualificantium personam. Et in hoc sensu loquitur S. Thomas in illis auctoritatibus quæ in solutione ista adducuntur, videlicet quod merita non se habent ut motivum propter quod Deus elegit nos ad gloriam, nec ad id inclinant divinam voluntatem, sed quatenus reddunt hominem idoneum ad hoc ut illi in executione detur gloria ex meritis, quia sic præordinavit Deus ut ex meritis detur gloria, non tamen ex meritis motus fuit ad sic præordinandum. Quem sensum etiam expressit Scotus in reportatis dist. xli, quæstione unica, §. De argumento, ubi explicat illam propositionem: Deus vult Petrum præmiare propter merita, quod ly propter merita potest construi cum ly vult; et sic est sensus: Deus propter merita vult Petrum præmiare, et hæc est falsa: vel potest construi cum ly præmiare, sic: Deus vult Petrum præmiare propter merita, et hæc est vera. Sic Scotus sentiens cum D. Thoma.

I. Fere omnia argumenta quæ in hoc puncto prolixè multiplicantur, æquivocant in prævisione meritorum respectu gloriæ: aut enim in intentione gloriæ dandæ, prævisa merita intrant ut motivum intendendi, et volendi gloriam, vel ut effectus subsecuti: qui enim vult dare gloriam ut coronam, vult illam dare per merita, ita ut merita subsequantur hanc voluntatem, et deriventur ex illa, ut effectus. Non tamen utitur ipsis meritis ut motivo intendendi illum finem, qui est gloria, licet utatur illis ut motivo ex parte meritis ad dandum illam in executione, quia non dat nisi digno. Quare Deus non vult gloriam sine meritis, sed non ex meritis intendit finem, qui est gloria. Et gratis vult dare gloriam, non tamen vult dare gloriam gratis, quia variatur hic appellatio: sensus enim primæ propositionis est: Deus gratuito motivo movetur ad intendendum gloriam, quæ in executione non est danda gratis, sed ex meritis: secundæ autem propositionis sensus est: Deus vult dare gloriam in executione ex meritis, quæ tamen sunt effectus subsecuti ad intentionem gloriæ ut finis. Unde etiam laborant argumenta opposita illa æquivocatione efficaciam in ordine intentionis, et executionis: nam in ordine intentionis, qui est ordo, et linea causæ finalis, habetur efficacia solum in genere finis, non in genere aliarum causarum; quæ tamen cum sit prima causarum, inchoat efficaciam, non complet. In genere autem, seu ordine executionis, datur efficacia in ordine causæ efficientis, seu exequentis, quæ supponit efficaciam